



J. J.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,  
De

EDICTO PRÆTORIS:  
Nautæ, Caupones, Stabularii  
ut Recepta Restituant.

*Quam*

DEO T. O. M. PRÆSIDE  
Ex  
A U T O R I T A T E

*Magnificæ in Illustri Universitate Electorali Branden-  
burgica, quæ est Teutoburgi Clivorum,*

FACULTATIS JURIDICÆ

P R O

L I C E N T I A

Summos in Utroque Jure Honores atque Privilegia  
Doctoralia ritè obtinendi,

*Publica Eruditorum Disquisitioni subjicit*

JOHANNES CHRISTIANUS Schimmelpfennig /  
REGIOMONTI-PRUSSUS.

*Ad diem 10. Augusti.*



DUISBURGI ad RHENUM,  
Apud FRANCONEM SAS, Academia Typographum,  
Anno M. DC. XCIII.



V I R I S  
NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
NEC NON DOCTISSIMIS

INCLUTÆ CIVITATIS  
LOEBNICENSIS

CONSULI,  
PRO-CONSULI,  
DN. SENATORIBUSve reliquis,

ut &

SECRETARIO,

FAUTORIBUS atque PROMOTORIBUS,

Dissertationem hancce in perpetuam grati-  
tudinis atque observantiæ meæ indicinam  
& tesseram, eâ, quâ par est, animi devo-  
tione atque veneratione

*Consecro, dedico*

JOHANNES CHRISTIAN.  
Schimmelpfennig.





I. N. J.

Tit. IX. ff. Nautæ, Caupones, Sta-  
bularii ut recepta restituant.



Ntequam nos ad ipsam Edicti hujus explicatio-  
nem accingamus, in genere prius notandum:  
quod injustissimus procul dubio sit, qui verba  
legis aucupatur, non attenta Legislatoris men-  
te. Scire enim leges, non est verba earum te-  
nere; sed mentem & sententiam. *l. scire 17. ff. de  
LL. l. pen. ff. ad exhib.* Ad quam investigan-  
dam ratio legis, i. e. causa impulsiva, quæ Legislatorem ad le-  
gem ferendam movit, non parum conducit. Ne itaque & nos à  
mente Prætoris recedamus, dicimus, Edictum hoc: Nautæ, Cau-  
pones, Stabularii &c. nihil aliud intendere, quam Securitatem  
Viatorum & Vectorum in Navibus, Cauponis & Stabulis. Dispe-  
citur verò hoc Edictum in duo capita, ex quibus duæ quoque na-  
scuntur actiones, quarum altera vocatur Actio de recepto. *l. i. §.  
3. ff. h. altera Actio in factum l. pen. §. 3. l. ult. §. 1. ff. h. §. ult. Inst.  
de Obl. quæ quas. ex delict. nasc.* Utramque Capite primò & Secun-  
dò distinctim prius considerabo, tum utriusque concordantiam &  
differentiam, nec non quando cessent & quando institui possint,  
capite tertio sum ostensurus.

A 2

CAPUT



CAPUT PRIMUM

De

Actione de Recepto.

§. I.

Verba primi capituli Edicti sunt hæc: *Nauta, Caupones, Stabularii, quod cujusque saluum fore receperint, nisi restituent, in eos iudicium dabo. l. i. pr. h.* Quibus ex verbis citra ullam offensionem colligere cuilibet licet: Exercitorem navis, cauponæ, stabuli, recipiendo rem tacitè promittere eam salvam fore, sicque ex qf. contractu obligari. *l. i. §. 2. 3. 6. & LL. seqq. h.*

§. II.

Requirit hic qf. Contractus non expressum recipientis & inferentis consensum; sed sufficit tacitus. Nam eò ipso dum scientibus exercitoribus, horumque præcipuis ministris, dietariis, naviumque custodibus, vel quibuscunque aliis, quibus exercitores recipere permittunt, res in navim illatæ *l. i. §. ult. ff. h.* vel in litore reponi iussæ sunt *l. 3. pr.* vel in navem missæ, licet non sint adsignatæ *l. i. §. 8. ff. h. v. g.* Si viator cauponi cistam, Valisiam, vel simile quid clausum tradidit custodiendum, aut tantum in ædes vidente caupone intulit, & postea res quasdam non reperiri dicat viator: quid juris? Respondeo cauponem conveniri posse ad res ex arcâ amissas restituendas per *l. cit.* modo actor probet, quænam res inclusæ fuerint, & admittitur is aliquando ad juramentum. *Dn. Struv. ff. h. r. th. 109.* his in casibus, inquam, tacitè rem salvam fore recepisse censetur *l. i. §. 2. §. 3. & 5.*

§. III.

Præsumuntur autem in custodiam receptæ non modo merces; sed etiam quæ mercibus accedunt, vestimenta nimirum, & omnia, quibus ad quotidianum usum viatores utuntur, & omnia omninò,  
quæ



quæ salva esse ipsorum interest. *l. 1. §. 6. & 7. licet post impositas,*  
*collocatasque merces illatæ sint. l. 4. §. 2.*

§. IV.

Pollicetur igitur hoc primo Edicti capite Prætor actionem in factum adversus nautas, caupones, stabularios ex qf. contractu, non obstante, quod hi vel locati vel depositi conveniri quoque possint *l. 3. §. 1. b.* Reprimendæ enim improbitatis hominum gratia, & quo plenius Securitati viatorum consuleret, omnemque materiam vel occasionem præscinderet cum furibus adversus eos, quos recipiunt coëundi, cum ejusmodi homines fraudibus non abstineant *l. 1. §. 1. b.*, ut reprimatur, inquam, nequitia exercitorum, id Prætor ita introduxit, ut cum locati agens culpam, depositi dolum probare cogatur, hæc verò actione in factum de recepto utens convenire posset eum, qui recepit, ut omnimodo, excepto casu fortuito & vi majori probatâ, *l. 3. §. 1. ff. b.* ad restituendam rem vel æstimationem ejus, si interit, vel damni, si quid illatum sit, condemnetur, etiamsi sine culpa ejus res perierit vel damnum datum sit, *l. 3. §. 1. ff. b.* aded ut non solum exercitor navis factum nautarum; sed & vectorum præstare debeat *l. 1. §. 6. f.* sicut exercitor cauponæ vel stabuli viatorum *l. 2. ff. b.* Nec hoc injustum est, ut enim qui tempore necessitatis, incendii nimirum, vel naufragii res suas deponit, arctius obligat depositarium: §. 18. *Inst. de Action.* ita non iniquum est eos, quorum fidem necessario sequuntur, qui horum custodiæ res suas committunt, paulò magis obligari *l. 1. §. 1. ff. b.* & qui recipiunt, conqueri nequeunt, cum horum in potestate sit non recipere *d. l. 1. §. 1. b.* nec huic legi contrariatur *l. un. §. 6. ff. furti adversus caupones &c.* quarum conciliationem in ipsum actum disputatorium, datâ occasione, reservamus.

§. V.

Notanter atque consultò præced. §. dixi, exercitorem teneti, etiamsi culpa ejus non intervenerit; sicque diligentia, quam in custodienda re adhibuit, eum ab hæc obligatione non relevet. Qua-



propter minus rectè faciunt, qui ita pronunciant: Da nun der Wirth/ daß ihr solche Sachen zu ihm gebracht / und dieselbe bey ihm euch gestohlen worden / solches auch durch seine Negligenz / und verwahrlosung geschehen / geständig / oder ihr solches / wie recht erweisen und darthun könntet; So wäre er euch die verlohrene Sachen wiederzuschaffen / oder dem rechten Werth nach zu bezahlen schuldig. Nam licet nullam negligentiam probare actor reo possit, hic tamen restituere tenetur, quod salvum fore, recepit, propter rationes præced. §. allegatas.

§. VI.

Hæc adeò vera sunt, ut nemo necesse habeat, an ea quæ de exercitore respectu actionis de recepto attuli, in Praxi hodie sequenda sint, dubitare. Est enim certissima regula juris: quod mutatum non est, quare stare prohibeatur? *l. 27. C. de testam.* Cui meritò annectenda sunt verba Excell. Dn. Strykii *ff. h. t.* ubi ait: *Nemo dubitabit etiam hodie hoc Edictum esse utilissimum, cum necessum non sit probare culpam, ob verba l. 3. §. 1. etiamsi sine culpa res perierit; ff. h. t. sed cauponi incumbat ostendere damno fatali vel vi majori rem periisse.* Conf. Responsum Facultatis Juridicæ Giefsensis apud Dn. Struv. *Decis. Sabbath. cap. 28. Decis. 9.* adde Facultatis Jenensis sententiam. *Ibid.*

§. VII.

His itaque præmissis facile erit naturam actionis in factum de recepto ex hoc quasi contractu nascentis cognoscere. Nempe quod sit actio, quæ fluit ex quasi contractu, & datur viatoribus, vectoribusve res inferentibus *l. 1. §. 1. h. eorumque heredibus arg. l. 3. §. 4. h.* non tantum adversus eos, ad quos omnis obventio ac reditus ex navi *l. 1. §. 4. h. cauponâ,* vel stabulo spectat; Sed etiam adversus horum heredes *l. 3. §. 4. h.* ad hoc ut restituatur vel res recepta, vel ejus æstimatio, licet citra culpam exercitoris perierit.

CAPUT



## CAPUT SECUNDUM

De

### Actione in factum.

§. I.

**E**X secundò capite hujus Edicti datur actio quædam, quæ in specie vocatur actio in factum. *l. pen. §. 3. l. ult. §. 1. ff. h. t. & §. ult. Inst. de Obl. que quas. ex delict. nasc.* Etsi enim & prior actio, de qua cap. 1. dixi, actio in factum sit, & ita appelletur *l. 3. §. 1. h.* habet tamen adnexam appellationem, de recepto *l. 1. §. 3. h.*

§. II.

Hæc actio in factum obtinet locum, quando furtum, damnumve injuria datum ab iis, quorum operâ, & ministerio nautæ, caupones, & stabularii in nave, caupona, & stabulo utuntur, & quidem adversus exercitores, caupones & stabularios in duplum *l. 7. §. 1.* Hodie secundum commnem Doctorum sententiam in simplum. Cessat autem hæc actio in factum in heredem: est enim certissima regula juris: ex maleficiis pœnales actiones contra heredes non dari *§. 1. Inst. de perpet. & temp. act.*

§. III.

Causa itaque agendi actione in factum adversus exercitorem est culpa præsumta ejusdem, seu ut Struv. loquitur *ff. h. t. culpa imputativa*, quod Prætor scil. exercitori culpam imputet, quod in vitia ministrorum non inquisiverit *l. 7. §. 4. h.* unde etiam fit, ut exercitor omnium suorum nautarum, sive liberi sint, sive servi factum in navi, *l. 7. pr. h.* & caupo eorum, qui habitandi causa in caupona sunt, modo non repentino hospitio sint recepti, præstare teneatur. *l. 6. §. 3.*

CAPUT



## CAPUT TERTIUM

De

### Concordantia & Differentia utriusque actionis tam de recepto, quam in factum, & quibus in casibus institui possint & cessent.

#### §. I.

CONveniunt ergò prædictæ actiones (1.) in hoc: quod utraque Prætozem pro autore agnoscat. (2.) Quod utraque heredibus detur. (3.) Quod usus his actionibus se præparare debeat ad probandum, quænam res fuerint illatæ, sciente exercitore vel eo, in quem, ut recipiat, exercitor expressè vel tacite consensit. (4.) Quod cessent visæ actiones post lapsum triginta annorum: utraque enim perpetua est. Differunt verò (1.) in hoc: quod actio prior scil. de recepto detur contra exercitorem non culposum: ita ut exercitor ad restitutionem damni teneatur, etsi vel extraneus aliquis viator quid damni intulerit; at actio in factum non detur contra exercitorem, nisi culposum. (2.) Quod Actio de recepto detur contra exercitoris heredes; at actio in factum contra heredes non detur *l. ult. §. f. h.* (3.) Quod actio de recepto ex quasi contractu; in factum vero ex quasi delicto ortum trahat. (4.) Quod actio de recepto detur in simplum, sitque mere rei persecutoria; in factum vero detur in duplum & ad pœnam tendat.

#### §. II.

Institui potest utraque actio, non obstante (I.) quod reus dicat: rem illatam actoris non esse *d. l. i. §. 7.* nam aliis multis modis contingere potest, ut intersit actoris rem receptam restituere, (II.) Non obstante, quod reus dicat: se claves cubiculi, in quo actor res suas recondidit, tradidisse: facile enim, si ex nuda clavi-  
vium



vium traditione liberatio induceretur, fraus huic Edicto fieri posset, & furandi occasio reo, qui alia clavi uti posset, suppeditaretur: nec eo ipso custodiam à se declinavit, cum id alia mente fieri possit, puta liberioris usus camerae gratiâ, & ut actor possit res suas, quando vult, accipere. (III.) Non obstante, quod reus dicat: actorem gratis navigasse vel divertisse. *l. 6. pr. h.* Præsumitur enim hospites tales activos, qui gratis se recipere *palam* profitentur, alia in parte sibi iterum *clam* consulere. (IV.) Non obstante, quod reus dicat: actorem esse ipsum hospitem activum *l. 4. §. 1. h.* Edictum autem Prætoris tantum Securitatem hospitem passivorum attendere & respicere, quia actor non quâ hospes activus; sed quâ hospes passivus res intulit. (V.) Non obstante, quod reus dicat: Se prædixisse, se nihil præstiturum, & ut unus quisque res suas custodiret: sufficit hospites passivos protestationi contradixisse, & exercitorem illos retinuisse. vid. Schilter. *ff. h. t. th. 21. seq.* Hoc in casu tamen suaderem, ut viator res suas humeris imponat suis, & aliud hospitium, si haberi possit, quærat. (VI.) Non obstante, quod reus dicat: Res ipsi nullis verbis commissas: sufficit enim eo sciente res illatas esse conf. *§. 2. Cap. 1.* (VII.) Datur actio in factum, licet nautæ delinquentes decesserint. *l. 7. §. 4.* nam sufficit ex horum delicto semel in culpâ deprehensum fuisse exercitorem.

§. III.

Cessant autem hæ actiones (I.) si reus probare possit: nihil interesse actoris rem salvam esse *l. 1. §. 7. h.* (II.) Si post lapsum 30. annorum quis instituere vellet has actiones (III.) Si reus prædixerit, ut unusquisque Vectorum res suas servet, cui prædictioni Vectores & Viatores vel tacitè vel expressè consenserint. *d. l. 7.* (IV.) In merè convivis, quorum pilei vel pallia subrepta fuerunt, cum nuptialia convivia instituerentur in publicis (ut hodie non unus Germaniæ locus in more positum habet) diversoriis, quia Prætor tantum Securitati Viatorum & Vectorum per hoc Edictum consulere vult, & odiosa sunt restringenda. (V.) Cum hæ



hæ actiones singulari jure in odium Nautarum, Cauponum, Stabulariorumque introductæ, ad tabernarios atque aurigas, nisi simul, nautæ, caupones vel stabularii sint, easdem non extendimus. (VI.) Cessant si ipse Viator in culpa sit per *l. 103. ff. de Reg. Jur.* (VII.) Si incio Exercitore, & iis ignorantibus, quibus exercitor res recipere permittit, ministris, qui non recipiendi; sed navigandi, aut aliorum viliorum munerum gratiâ habentur quid commissum sit *l. 1. §. 2. §. 5. & ult. h.* neque hoc in casu potest dici præsumtam exercitorum voluntatem subesse. (VIII.) Quando damnatum quidem datum; sed non in navi, caupona, stabulo *l. 7. pr.* nam causa remota Edicti est violata vectorum in navi, caupona, stabulo securitas. (IX.) Cessant contra eos, qui non lucri causa homines exercent; Sed si vel sponte vel à Magistratu coacti hospites receperint, vel ex neccssitate vel amicitia. *arg. l. 1. §. 1. l. 2. & 3. h. t. v. g.* Si cives, qui cauponam non exercent, Principe in urbem ingrediente aliquos de ipsius Comitatu in ædes suas recipiunt, hoc Edicto Prætorio non tenentur.

T A N T U M.





Kd 3358

8

ULB Halle  
003 758 15X

3



7  
TA-206

6-stück felle node


VD.77











Farbkarte #13

B.I.G.

INAUGURALIS  
ICA,

RÆTORIS:  
es, Stabularii  
Restituant.

PRÆSIDE  
TATE  
*itate Electorali Branden-  
oburgi Clivorum,*

JURIDICÆ

NTIA  
Honores atque Privilegia  
obtinendi,

*quisitioni subjicit*  
ANUS Schimmelpfennig /  
- PRUSSUS.  
*Augusti.*

RHENUM,  
Academia Typographum,  
C. XCIII.